OFFICIVM TRANSLATIONIS SANCTI PETRI DE ALCANTARA CONFESSORIS ORDINIS MINORVM.

DVPLEX.

A Sacra Rituum Congregatione recognitum, & approbatum: à Fratribus & Monialibus eiusdem Ordinis die vigesima octaua Aprilis (in quam eius Canonizatio inciderat) recitandum.

DIE XXVIII. APRILIS.

In festo Translationis sancti Petri de Alcantara Confessoris. Duplex.

Omnia dicuntur sicut in die Festo ipsius, præter ea quæ sequuntur, sed more temporis Paschalis.

In primis Vesperis,

Ad Magnificat, Antiphona.

Respexit Deus Petrum in bono, erexit illum, & exaltauit in gloria: conuertit planctum eius in gaudium; conscidit saccum ipsius, & circumdedit eum lætitia, alleluia.

Oratio.

Deus, qui animam beati Petri Confessoris tui charismatum donis, & corpus crucis mortificatione decorasti: concede precibus nostris; vt qui eius recolimus Translationis memoriam, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum.

Et fit commemorat. S. Vitalis martyris.

Lectiones primi Nocturni, Fratres, quæ mihi fuerunt lucra, &c. vt in die festo.

In secundo Nocturno.

Lectio iiij.

Postquam sanctus Petrus de Alcantara flexis genibus animam Deo reddidit, facies eius, quæ solis ardore semiusta colorem subnigrum contraxerat, statim candida & venusta facta est: oculi, quos vigil modestia demissos clausósve semper custodierat, non solùm aperti, sed & in altum defixi & splendescentes conspecti sunt: totum denique corpus, quod continuis afflictationibus attritum, arborum radicibus simile videbatur, molle & tractabile, suauemque spirans odorem, cunctis obstupescentibus, signa & prodigia edidit. Eâdem verò qua obierat hora, spiritus eius à beata Teresia visus est impertransito Purgatorio rectà ad cælum conscendere: ac posteà sæpè se eidem maximæ gloriæ fulgoribus coruscantem manifestans, multis in rebus consilio iuuit, & valdè consolatam reliquit.

℟. Minister Christi.

Lectio v.

Vt mortis eius fama percrebuit, ad sacri corporis aspectum frequens populi multitudo accurrit; & quilibet sancti viri merita certatim extollebat, miracula narrabat, & beneficia per eum accepta prædicabat. Inter hæc autem præcipua fuerunt, & Apostolica auctoritate approbata, quorumdam conclamata salus protinus restituta; fracta & contracta crura repentè sanata; variæ infirmitates in instanti depulsæ; surdis, claudis, cæcis, sensuum membrorumque reddita incolumitas. Quæ quidem miracula ad tumulum viri sancti, mirabilis Deus in Sanctis suis operari dignatus est, vt quanti meriti esset, toti Ecclesiæ innotesceret.

℟. Virtute multa.

Lectio vj.

Cvm igitur ad sancti viri tumulum ingens concursus fieret, Religiosi Conuentus Arenarum de Abulensis Episcopi licentia corpus eius exhumarunt, illudque in arca, velis inuolutum sericis, parieti incluserunt. Cumque cresceret in dies, vnà cum miraculis, populorum concursus; facta de his omnibus ad Sedem Apostolicam relatione, Abulensis Antistes, præsentibus quibusdam Hispaniæ Magnatibus, arcam reuerenter aperuit, sacrumque depositum veneratus, & cælesti fragrantia, quam exhalabat, exteriùs interiusque recreatus, illud ex priuato sepul-

ſepulchro in nouam capellam, à ſe dicatam, ſolemniter tranſtulit. Demum Clemens Nonus Dominica in Albis anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi noni beatum Petrum in Sanctorum numerum retulit; Clemens verò Decimus præfatæ Tranſlationis feſtum die vigeſima octaua Aprilis, in quam eadem Canonizatio inciderat, celebrari quotannis ad inſtantiam Caroli Secundi Regis Catholici benignè conceſſit.

℞. Cùm introiſſet.

Nona Lectio de S. Vitale martyre.

Ad Benedictus, Antiphona. Poſt vitæ ſanctæ terminum anima cælos ſcandit, & corpus multis miraculis reſplendet: ô felix pœnitentia, quæ tantum conſecuta eſt præmium! alleluia.

Et fit commemoratio ſancti Vitalis martyris.

Veſperæ à Capitulo de S. Petro martyre, cum commemor. præcedentis, Antiphona. Feſtiuum gemino triumpho diem colimus: hodie felix Petri anima Sanctorum faſtis ſolemniter adſcripta eſt; hodie beati corporis glorioſa Tranſlatio pijs affectibus celebratur, alleluia.

CVm sanctissimus D. N. D. CLEMENS *Papa* X. *sub die* 15. *Nouembris* 1670. *annuerit, & mandauerit, vt in posterum à tota Religione Franciscana vtriusque sexus recitetur Officium Translationis Reliquiarum corporis S. Petri de Alcantara die* 28. *Aprilis, quo fuit canonizatus, sub ritu duplici, nempe omnia sicut in die festo ipsius, cum Lectionibus tamen, Oratione, & Antiphonis in vtrisque Vesperis ad Magnificat & Benedictus, à Sacra Rituum Congregatione approbandis: eadem Sacra Congregatio supradictas Lectiones, Orationem, & Antiphonas, reuisas, & relatas per Eminentissimum D. Cardinalem Bona, approbauit, & imprimi posse concessit. Hac die* 24. *Ianuarij* 1671.

M. Episc. Portuensis Card. Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius Sac Rit. Congreg. Secret.